



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iosephina Lvcernensis

**Reiß, Jacob
Tschan, Jacob**

Constantiae, 1658

54. Gravißimè vindicatus â Deo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9773

ELOGIVM LIV.

IOSEPH

Grauissimè vindicatus à Deo.

POena, inquit S. Thom. in 1. 2. q. 87. a. 3. & 4. proportionatur peccato secundum acerbittatem, in iudiciò diuinò & humanò. Si quis ergo nosse velit, quantum ij, qui IOSEPHVM offendere, peccarint, intueatur primò pœnam, quã illos Deus propterea pessum dedit. Hi autem sunt præcipuè Bethlehemitæ, qui IOSEPHVM, apud se oriundum à Maioribus, non solùm vrbe, & domibus cognatorum, sed etiam diuersoriò publicò, vna cum prægnante matre partui proximâ, excluderunt. Tam verò commemorandi sunt etiam Herodes, & Archelaus Iudææ Reges, quorum ille IOSEPHVM in exilium fugere coëgit; hic ab exilio reducem, patriâ in Galilæam expulit.

Igitur ad Bethleemitas quod attinet, luère primò in suismet infantibus, quos per summum nefas prætulerant Infanti Diuino IESV. Cùm enim Herodes à Sacerdotibus & Scribis intellexisset non ablatum iri sceptrum ex Iudâ, & Ducem de femore eius, donec veniat qui mittendus est, Gen. 49. v. 10. in eam sententiam venit, se, qui primus externorum occupâset id sceptrum, Messiam esse oportere. Id autem negabant præter Herodianos alij omnes; nupèrque tres Magi Orientis, publicâ Religione alteri apud Bethleemitas nato Messia

L 3

impen-

impensâ, damnârunt. Hunc ergo Subuentaneum, vt videbatur, Messiam, etiam per innocentissimorum infantum cædem scrutari, tollereque è mediò, decreuit, inductus maximè Magorum, adoratum puerum prodere nolentium, contra datam fidem, clandestinò abitu. Nec desuère, decreto immanissimi tyranni, Carnificum turmæ; sed confestim, velut indagine, cinxere omnes Bethlehemi fines totam inquam tribum Iudam & Benjamin, & quotquot vsquam Liberorum erant, qui nòdum biennium excessissent, conquisitos, in conspectu civium Bethlehemitarum, intra ipsa eorum rænia, domósque paulo ante IOSEPHO negatas (Decker, in Thes. an. 10. ex Origen. & Nyssen.) crudelissimè trucidârunt; ne quidem Antipatrò ipsius Herodis filiò superstite relictò. Testanturque tum Aethiopes in Liturgia sua, tum in Menaïs Græci ad 29, Decembris, eâ solâ lanienâ cæsa esse quatuordecim millia huiusmodi paruulorum. Vbi enimvero parentes omnes etiam ipsi grauissimas dedere pœnas Vltori Deo; quorum comploratio & vlulatus multiplex vsque in Rama extendit se, omni consolatione maior.

Sed Herodis quoque meminisse debemus, qui carnificinæ isti suæ vix momentò interpositò, miserrimè succubuit. Simulac enim ea perpetrata erat, & IOSEPH cum suis ex Iudæâ aufugit, cœpit corpus eius calore tabifico torreri; stomachus insatiabili fame vexari; cruciari viscera colicis passionibus; pedes pellucidò phlegmate distendi; infamia

libi

libidinibus membra fædissimis vermiculis, iuxtaque putredine infestari, artus omnes neruique ingenti cum dolore contrahi; donec tandem circa paschale tempus impiam animam ad æternos inferni cruciatus transmisit. Ita Euseb. l. 1. Hist. c. 8.

At non dissimilis Herodi fuit Archelaus filius eius, qui cum initio Regni tria ciuium millia in ipso templo ceu victimas, trucidasset, aliâque scelera, digna sanguine paterno, perpetrasset, demum Augusti iussu exul ire in Gallias debuit, qui IOSEPHVM ab exilio reversum, ne in patria consisteret, crudelitatis notissimæ exemplis, in externam Galileæ provinciam compulit abire.

Hic ergo tum pœnas, tum peccata ipsa eorum, qui IOSEPHVM persecuti sunt, vides. Sed quæso te, transfer nunc animum ad dignitatem viri, quam præcipuè notam cupio. Est hæc eò maior, quo iniuria; & iniuria, quo pœna; & vicissim. At est pœna longè maxima. Non est ergo iniuria minor. At iniuria à dignitate offensi desumitur. Si ergo iniuria par est pœnæ, maxima maximæ, dignitas quoque IOSEPHI maxima sit, necesse est. At licet omnia maxima sint, non tamen negare possumus, Deum, etiam in summo iustitiæ rigore, & circa iniuriam longè maximam adhuc misericordem esse, vt S. Thom. in 1. p. q. 21.

a. 3. & 4. docet.



ELO.